

Xa  
4357

# IMAGINEM SOLIS SERENANTIS

IN  
SERENISSIMO PRINCIPE,

D N.

## JOHANNÉ ADOLPHO,

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MON-  
TIUM DUCE, LANDGRAVIO THURINGIÆ,  
MARCHIONE MISNIÆ, ET UTRIUSQVE LUSATIÆ,  
PRINCIPE COMITATUS HENNEBERGICI, COMITE DE  
MARCA, RAVENSBURG ET BARBY, DYNA-  
STA IN RAVENSTEIN,  
ETC. ETC. ETC.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

CUM ILLE ANNUM ÆTATIS

### TRICESIMUM ET SEPTIMUM

FAUSTO OMINE INGREDERETUR,

MONSTRAT



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

### JOACHIM LEISTENIUS,

AUGUSTEI RECTOR ET P.P.

LEUCOPETRÆ,

LITERIS JOH. BRÜHLII, DUCAL. ET AUGUST. TYPOGR.

*Princeps cui Sole comparatur.*



Ntiqviffimi Ægypti cultores, uti C. Rhodiginus refert, ingenium vultumque boni Principis hieroglyphice exprefuri, senem pinxerunt, dextera SOLEM, finiftra vero HOROLOGIVM tenentem, eoqve fignificarunt, oportere illos, qui ad Reipublicæ gubernacula fedent, non pueros, fed viros efle, qui, cana prudentia armati, & integritate vitæ maxime illufres, non legibus magis & edictis, quam moribus & exemplis, quæ agenda fint, aut fugienda, fubditis proponant atqve imperent. Quemadmodum enim maximum illud & clariffimum fidus, & quæ vices ejus in terris monftrat, fabrica motu fuo tempora definiunt, quibus in vita civili actiones noftras metimur: ita dicta & facta maximorum Principum populo funt norma & regula vitæ. Ea quippe virorum, qui in excelfo ætatem agunt, conditio eft, ut quicquid agant aut faftidiant, præcipere aut vetare videantur. Neque unquam virtus plures reperit cultores, vel ofores, quam imperante Principe, amore, vel odio illius flagrante. Cum Dionyfius, Syracufarum tyrannus, Platonem, Athenis evocatum, indulgenter haberet, & attente audiret, non defuerunt, in ea civitate, qui Mathefi aliisque fcientiis Philofophicis prolixam navarent operam. Roma etiam majorem Poëtarum proventum haud vidit, quam cum Auguftiffimus Imperator Octavianus inter Flaccum lachrymantem & fufpirantem Maronem federe infra majefatem fuam non duceret. Et quem fugit, Numæ Religionem, Davidis pietatem & fortitudinem, Alexandri M. gloriam armorum, Caroli V. Imperatoris, & Ludovici XI. Galliarum Regis infignem modeftiam in cultu corporis ingens incitamentum fubditis fuiffe ad eodem habitus animis fuo induendos? Ut igitur fancta & inculpata fit civium vita, eminentes poteflates fuma ope niti decet, ne inter blanda fortunæ obfeqvia cupiditatibus fuo nimium obfeqvantur, nec temere egrediantur, quos natura illis circumdedit cancellos, memores illius Cæfaris apud Salluftium: IN MAXIMA FORTUNA MINIMA EST LICENTIA. Sicuti etiam Sol luce fuo omnibus cœli terræque luminibus caliginem inducit, & fplendore fuo non aëris modo trifitiam difcutit, fed nubila etiam mentis humanæ ferenat, omniaque, quæ vaffiffimus terrarum orbis complexu fuo tenet, calore fuo fovet, vegetat, fœcundat, eaque de caufa non quiete, fed perpetuo gaudet motu, nunc in Boream, nunc in Austrum iter fuum flectens, ut præfentia fuo omnibus vitam & vigorem im-

impertiatur: ita qui sceptrum aut fasces tenent, lumine intellectus & candore voluntatis præ aliis conspicuos esse oportet, ut verum a falso, honestum a turpi, æquum ab iniquo discernere queant, & clementiæ suæ radiis omnes, qui vel injuria affecti, vel ærumnis deformati sunt, illustrent & refocillent. Neque enim ideo in thronum locati sunt, ut, tenebris involuti, pingves ferias agant, aut in sylvis cum rapacibus avibus & sagacibus canibus oberrent, ferasque confectentur: aut in palatiis suis inter nefandas intemperantiæ Sirenes consenscant, more priscorum Assyriæ Regum, qui, Justino & Diodoro Siculo testibus, nunquam in publicum prodierunt, sed in gynæceis inter scortorum greges omne vitæ tempus traduxerunt, rati, incommoda vitare, Veneri & Baccho litare, & vacuum esse a curis, summam esse in Rege felicitatem: sed ut, luce sua coruscantes, in custodiam publicæ salutis omnes industriæ nervos intendunt, per omnes principatus partes animo saltem, instar irrequieti sideris, grassentur, omnia lustrent, omnibus consulant, & quicquid atrarum nubium civitati vel imminet, vel jam incumbit, splendore virtutis & majestatis suæ dispellant. Nemo enim Rex aut Princeps, nemo pater patriæ esse potest, nisi idem Patri luminum sit similimus, cujus vices in terris gerit. // Nimirum, uti optimum maximumque Numen malos æque ac bonos, humiles juxta & excelsos ortu & jubare solis exhilarat: ita officio illorum, qui rerum potiuntur, convenit, non nobiles magis & opibus florentes, quam plebeios & fortunis dejectos, sereno vultu intueri, & igniculis paterni affectus adversus novercantis fortunæ frigus munire. Omnino, inquit Romanæ Eloquentiæ parens & Princeps, Cicero, *Rerum publicarum præsidibus duo Platonis præcepta tenenda sunt: unum, ut quicquid agant, ad civium utilitatem referant, obliti commodorum suorum: alterum, ut totum Reip. corpus curent, ne, cum partem tuentur, reliquas deserant.* Et Claudianus ad Honorium scribit:

Tu civem patremque geras, tu consule cunctis,  
Non tibi: nec tua te moveant, sed publica damna,

Proprium ergo illorum munus, quos Serenissimos appellamus, est lucem fœnerare orbi, & diligentissime curare, ut splendor ejus indies crescat, & perpetuetur: Hoc munere qui præclare funguntur, non minus in terris, quam sol in cœlis, maxime fulgent. Et felix quidem illa terra, quæ tali gaudet lumine. Felix, imo felicissimus ille populus, qui tali regitur Rege. Sicuti enim Resp. quæ ab ignavo obscuroque homine gubernatur, mœret, lanquet & ingentem felicitatis suæ patitur eclipsin: ita eadem pulcherrime floret, & insigniter splendet, si a prudente & virtute inclyto Principe administratur. Felices itaque & nos sumus, qui Principem osculamur non puerum, sed virum, non ignobilem, sed illustrem, non difficilem, sed facilem & clementem: Principem, inquam, cujus sere-

F. 38a 4357

serenam frontem & egregias animi dotes facilius admireris, quam  
 justis evchas laudibus, nempe SERENISSIMUM Ducem,  
 DN. JOHANNEM ADOLPHUM, Regio & Electorali  
 Saxonum sanguine ortum: qui postquam principatum adeptus est,  
 & e sacris edoctus, se illius sustinere personam, qui in luce habitat  
 inaccessa, nihil antiquius habuit, quam in regimine Politico & Ec-  
 clesiastico eam calcare viam, quam SOL JUSTITIÆ per lucernam  
 verbi sui ipsi monstrat, & fastigium gloriæ, ad quod Gloriosissimi  
 illius Majores percustodiam utriusque decalogi tabulæ aspirave-  
 runt, æquare. Et jam æqvavit, si non superavit, plenissime. Pru-  
 dentia enim & vigilantia sua id assecutus est, ut status hujus Ditio-  
 nis sit longe florentissimus. Floret quippe in Ecclesia vera & ortho-  
 doxa religio: floret in Politia pax & tranquillitas publica: floret  
 in Curiis germana justitia: florent in Lyceis Optimarum Artium  
 studia: florent denique ubique locorum commercia, & privatorum  
 falus indies incrementum capit. Quæ felicitas non parvi, sed ma-  
 gni æstimanda est, & grata mente celebranda. Si enim maxi-  
 mum malum, sub principe vivere malo, ingens utique bonum est,  
 ab optimo regi. Laudandus itaque Rex Regum & Dominus Do-  
 minantium, qui Ducem nobis dedit pacificum, pium & felicem, &  
 per illum saluti nostræ optime prospexit. Idem obtestandus nobis,  
 & veræ fidei motibus compellendus, ut, quod usibus nostris indulsit  
 lumen, tueri, splendorem ejus augere, & lucem illam, qua abhinc  
 sex & triginta annis supra horizontem nostrum primum ascendit,  
 sæpissime adhuc, ~~semper tamen lætiorum, ipsi pariter & nobis red-~~  
 dere dignetur, ad illustrandum nominis sui gloriam & felicitatem  
 nostram perpetuandam. Ego, quod mei muneris est, crastino die,  
 annuente Nūmine divino, hora locoque consuetis exequi co-  
 nabor, verba factururus de PERICULIS, QUÆ HAC NOSTRA  
 ÆTATE ECCLESIAE ORTHODOXÆ IMPENDENT, & vota Mo-  
 deratori hujus Universi pro incolumitate SERENISSIMI NU-  
 TRITII nostri nuncupaturus: speroque alios etiam cives, illos  
 præsertim, qui Literarum gloriam quæerunt, aut jam assecuti sunt,  
 precibus meis suas juncturos, & præsentia suæ honore hanc panegy-  
 rin illustriorem reddituros esse. Neq; enim facile aliquis committet,  
 ut Lux illa obscuretur, nulloque devotionis candore illustretur,  
 quæ tantum sidus nobis dedit, quo splendente, splendent Muxæ,

Leges, Religio. P. P. ipsis calendis Novembris,

Anno recuperatæ salutis

M DC LXXXV.



nc

1007



h. 15, 51

(x200 2479) cat. 1

Xa  
4357

# IMAGINEM SOLIS SERENANTIS

IN

JOHAN  
SAXONIAE  
TIUM DUCH  
MARCHIONE  
PRINCIPE CO  
MARCA,

OLPHO,  
IAE ET MON-  
D THURINGIAE,  
USQVE LUSATIAE,  
GICI, COMITE DE  
ARBY, DYNA-  
EIN,

DOA  
CUM  
TRICES  
FAUS

TISSIMO,  
AETATIS  
EPTIMUM  
DERETUR,

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄT-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

JOACHIM  
AUGUSTEI RECTOR ET P.P.

LEUCOPETRAE,  
LITERIS JOH. BRÜHLII, DUCAL. ET AUGUST. TYPOGR.

*Princeps cui Sole comparatur.*

